



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CII. De Vastatione Villae Dramenovv & morte plurium Sambitarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Foppo de Osterna VI. Magister Gen. Ord. Teut.  
Helmericus de Reichenberge V. Mag. Provincialis Prussiae.*

Castrum Kunnigsberg fratres locaverunt quoddam (b) oppidum, & quia non bene fuit firmatum, supervenerunt Sambitarum improvisè, & captis & occisis pluribus hominibus ipsum penitus destruxerunt. Undè postea translatum fuit (c) in vallem inter Prigoram & Castrum, in eum locum, in quo usque in diem permanet hodiernum.

## ANIMADVERSIONES.

- (a) Hodie est templum Polonicum.  
(b) Hodie suburbium est Veteris oppidi diciturque *Steinshamm* / antea verò dicebatur *Konigsberg* simpliciter, ut patet ex Privilegio primo Regiomontanis à Conrado Turberg Juniore Magistro Prussiae Provinciali Anno 1286. concessio.  
(c) Hodie dicitur *Palaeopolis* i. e. *Allstadt*.

## CAP. CII.

*De*  
*Vastatione Villæ Dramenovv & morte plurium Sambitarum.*

Nemo posset conscribere, & si scriberet vix crederetur, quam solliciti fuerunt fratres in impugnatione Sambitarum, ut eos iterum subjicerent fidei Christianæ; Undè debilitatis & efugatis hic qui in territoriis *Waldovv* *Quedenovv* & *Wargen*, & vicinis locis aliis habitabant, Fratres cum exercitu contra territorium *Pubeten* processerunt & depopulatâ quadam Villâ, dicta *Dramenovv*, captis pluribus & occisis, dum cum magno spolio recederent, hostes insecuti eos, invaserunt, & quasi in fugam converterunt. Sed frater *Henricus Ulenbusch* vir totus animosus ipsis restitit, & adeo viriliter se opposuit, quod alii resum-

*Poppo de Osterna VII. Mag. Gen. Ord. Teut.  
Helmericus de Reichenberge VI. Magister Provinc. Prussie.*

sumptis Viribus & audacia reversi ad prælium prædictorum Sambitarum occiderunt multitudinem capiosam.

### CAP. CIII.

De

#### *Victoria fratrum contra Sambitas in territorio Bethen.*

**I**N terra Sambitiæ est quoddam territorium dictum Bethen, in quo homines feroces habitabant, & adeo potentes, quod de una villa quingenti viri ad bellum habiles poterant procedere, quos fratres de Kunnigsberg soli invadere non audebant. Unde rogaverunt Magistrum de Livonia, ut de partibus suis aliquos fratres & armigeros ipsis in subsidium destinaret, assignantes diem & locum ubi jubebant ad prælium convenire. Venientes itaque fratres de Kunnigsberg cum suo Exercitu in termino præfixo ad locum deputatum, incœperunt dictum territorium rapinâ & incendio devastare, Livoniensibus adhuc non comparentibus. Unde Sambitiæ commoti convenientes, exercitum fratrum hostiliter invaserunt, & dum jam vellent in fugam converti compellente ipsos nimia hostium potentiâ, exercitus fratrum Livonensium cum multis & magnis dextrariis supervenit, sicque simul invadentes totum illum Exercitum Sambitarum in ore gladii deleverunt, captis mulieribus & parvulis habitaciones hujus territorii & circumjacentium in cineres redegerunt.